

non, ut si solvas 'postquam Discordia taetra
belli ferratos postes portasque refregit,'
✓ invenias etiam disiecti membra poetae.

60

hactenus haec: alias, iustum sit necne poema;
nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
et vivat puris manibus, contemnat utrumque.

65

ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
non ego sim Capri neque Sulci; cur metuas me?

70

nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli,

nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,

non ubivis coramve quibuslibet. in medio qui
scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:

75

suave locus voci resonat conclusus. inanes

hoc iuvat, haud illud querentes, num sine sensu,
tempore num faciant alieno. 'laedere gaudes',

inquit, 'et hoc studio pravus facis'. unde petitum
hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,

80

vixi cum quibus? 'absentem qui rodit, amicum
qui non defendit alio culpante, solutos
qui captat risus hominum famamque dicacis,
fingere qui non visa potest, commissa tacere